



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

7. Prudentia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

PASSUS VII.

Prudentia.

TEXTUS.

*Estote prudentes, sicut serpentes.*  
Matth. c. 10. 16.

*Cognitio.*

**P**Rudentia est virtus practica, per quam & finis honestus præfigitur, & media ad hunc finem obtinendum congrua eliguntur.

Actus ejus sunt:

1. Consilium, quo media ad assequendum finem idonea investigantur.
2. Judicium, quo de aptitudine mediorum ad finem sententia fertur.
3. Imperium, quo voluntas imperat, ut executioni mandetur, quod judicatum est.

*Consideratio.*

Sequere, Anima mea, consilium Sapientis, & veram prudentiam acquirere stude,

106 SEMITA PERFECTIIONIS.

ut fructibus ejus fruaris. I. *Posside sapientiam, posside prudentiam: ne dimittas eam, & custodiet te; dilige eam, & conservabis te.* Proverb. c. 4. s. II. *Vitam sapiens & intelligeres, ac novissima provideres. Saperes, qua Dei sunt; intelligeres, qua mundi sunt; provideres, qua inferni sunt! Profecto infernum horreret; superna appeteret; qua ad manum sunt, contemneret.* S. Bernard. in Epist. Verum quia saepe caligat mentis oculus; veram prudentiam, & Spiritus sancti dona à Deo efflagita.

*Petitio.*

O Divine Spiritus, fons & Author omnis sapientiae & prudentiae, concede mihi I. *Donum consilii*: ut in omnibus operibus & negotiis meis cuncta maturè considerem, & consultem; atque oculum mentis semper in Dei voluntate defigam. II Da mihi *donum intellectus*, quo in rerum deliberatione & consultatione rectè judicem; vera à falsis, certa à dubiis, bona à malis, à mediocribus optima discernam, eaque, quae secundum circumstantias loci, temporis, personae, rei ipsius, optima & convenientissima sunt, semper eligam. III. Adde *donum fortitudinis*, ut ea, quae factà deliberatione, opportuna, utilia, aut necessaria esse duxi, cum celeritate, vigilantia, & sol-

& sollicitudine executioni mandem: ne aliquando à prudentium cœtu exclusus, virginibus fatuis annumerer.

*Aspirationes.*

I. *Vtinam-saperens, & intelligerent, ac novissima providerent! Deut. 32. V. 29.*

II. *Ista est vera sapientia, (& prudentia) per contemptum mundi, tendere ad regna cœlestia. Tho. Kemp. L. 1. c. 1.*

III. *Da mihi, Domène, sedium tuarum, assidricam sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret; & sciam, quid acceptum sit coram Te. Sap. 9. V. 4.*

PASSUS VIII.

Discretio.

TEXTUS.

*Posside sapientiam, quia auro melior est; posside prudentiam, quia pretiosior est argento. Proverb. c. 16. 16.*

*Cognitio.*

**D**iscretio est spiritualis prudentia; quæ in his, quæ ad interiora spiritûs pertinet,